



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 95. Albæ Dux Papam Romæ accedens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI
A C 1557

ris devotus; Hæc fuere addita, ut Marcus Antonius Columna excluderetur. Quem articulum Albæ Dux Paulo IV. eo facilius indulgebat, quo certius hunc Papam brevi moriturum credebat, cum jamjam annum ætatis suæ octogesimum expleffet: eo autem mortuo Philippus Rex pro arbitrio suo de Paliana ditione disponere poterat. Porro utriusque fœderis articuli per Juliacensem Episcopum exhibebantur Pontifici, quibus approbatis, ac postea promulgandis Cardinalis Sanflorianus, Aquilejensis Episcopus, necnon Albæ Ducis Cancellarius tanquam testes subscribere: secreti autem articuli, quos nonnisi Pontifex, Caraffa Cardinalis, & Albæ Dux noverant, per Sachetum, qui Caraffæ ab epistolis erat, firmabantur.

§. XCV.

Albæ Dux Papam Romæ accedens.

*Pallav. n. 5.
in act. Con-
fist. 20. Sept.
1557.
Rayn. n. 17.*

Paucis post inita pacta diebus decima nona Septembris Albæ Dux Roman delatus, juxta pactorum fidem Summo Pontifici filiale obsequium præstabat. Præcedente Friderico ejus Filio ipsemet Dux vespere adventabat, altera vero die debitum obedientiæ, ac submissionis exsolvebat homagium, ad quod præstandum sese suo, ac Philippi Regis nomine obstrinxerat, eumque Summus Pontifex

tifex omni obsequiorum genere honora-
 bat, postera vero die coacto Purpuratorum
 Senatu Massarellus secretorum Minister
 duntaxat publicum pacis diploma præ-
 legit, ore tenus ea referens, quæ Albæ
 Dux Pontifici proposuerat. Ibidem ta-
 men adhuc sancitum, ut altera die in
 Pontificis Sacello res Divina ritu sole-
 mni celebraretur, Deoque propter ob-
 tentam pacis facilitatem debitæ grates
 rependerentur, communisque lætitiæ
 signa ederentur, tandem vero ad utrum-
 que Regem Henricum II, & Philippum
 duo Legati decernerentur, qui inter am-
 bos hosce Principes pacem conciliare
 niterentur. Itaque in Gallias Trivul-
 tius Cardinalis Toloniensis Episcopus,
 in Belgium vero ad Hispaniæ Regem
 Caraffa Cardinalis ablegabatur. Po-
 stea Albæ Dux plures in arce S. Ange-
 li captos libertati restitui a Papa impe-
 trabat, ita tamen, ut ex his quinque
 exciperentur. Hi erant tres Ecclesia-
 stici, Moronus Cardinalis, Cavensis E-
 piscopus, & Osius Datarie Præfectus:
 præter hos duo erant Laici Petilia-
 nus Comes, & Julius de la Rovere, seu
 latino sermone Roboreus: denique Al-
 bæ Dux, cum Romæ tres dies inter fe-
 stivos jubilos transegisset, Neapolin re-
 versus rebus ibidem ordinatis discessit,
 inde Mediolanum profecturus.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1557.

K k 3

§. XCVI